



Dass

NOT

+

16 15  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
HISTORICO-METAPHYSICA  
DE  
FATO TVRCICO

QVAM  
CONSENSV INCLYTI ORDINIS PHILOSOPHICI  
PRAESIDE  
GEORGIO GOTHOFREDO  
KEVFFEL

PHIL. D. MORAL. ET POLIT. PROF. PVBL. ORD.  
FACVLTATIS SVAE H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
LEGITIME IMPETRANDIS

IN IVLEO MAIORI

DIE APRILIS MDCCLI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM

DEFENDET

AUTOR

IOAN. FRIDERICVS WEITENKAMPPF

REGIOMONTO-BORVSSVS  
THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE CANDIDATVS

---

HELMSTADII

LITERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

12

HISTORIE MEXICANA  
VON  
JESUUS  
DE  
SANTO DOMINGO  
DE  
SILVA  
VON  
JOHANN  
FRANZ  
VON  
SIEBOLD  
VON  
DRESDEN  
1823



SERENISSIMO ET CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

C A R O L O

DVCI REGNANTI BRNOVICENSIVM

ET LVNEBURGENSIVM ETC.

DOMINO

SVO LONGE CLEMENTISSIMO

SVMMO MVSARVM PROTECTORI

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DEVOTISSIMI ANIMI INDICEM ET PIGNVS

ANNEXO VOTO

OMNIGENAE PROSPERITATIS

ANNEXISQVE PRECIBVS

PRO

CELSISSIMAE DOMVS BRVNOVICENSIS

FLORE

CONSECRAT

SERENISSIMI NOMINIS

HVMILLIMVS CVLTOR

IO. FRIDERICVS WEITENKAMPFF.



SECTIO I.  
SISTENS  
HISTORIAM FATI TVRCICI  
EIVSQVE EXPLICATIONEM.

§. I.



Edet mente fixum de Fato Turcico publice differere. Ut igitur nostrum attingamus scopum, ante omnia magnopere censeo, de hac materia distinctam conciliare ideam. Adsunt quidem haud pauci, qui in communi vita de hoc fato multa faciunt verba, sed si dicendum, quod res est, vera suae opinionis sententia illos lateret. Ut igitur Scyllam atque Charybdim euitemus, Sectio prima disputationis meae historiam ex monumentis optimo-

A 3

rum

rum scriptorum sistet, et notionem fati Turcici distincte enucleabit; Sectio vero secunda perniciosissimam huius fati opinionem enodatissime refellere sataget.

§. II.

II, qui hoc fatum statuunt, dicuntur Turcae, a quibus haec denominatio originem trahit. Huius autem vocis deriuationem vt inquiram, nullius puto esse momenti. Qui hoc cupit LAVR. RISENBERGII *rerum Turcicarum relationem cap. 1. p. 5.* conferat. D. PHILIPPVS vocabulo *Turcae* vastatorem significari, asserit, eo, quod longe lateque omnia deuastet. Haud pauci adsunt, qui hodiernorum Turcarum eandem esse nationem credunt, quae tempore Alexandri M. Seytarum nomine floruit. Imperator Heraclitus Turcas primum evocasse, et aduersus Persas conduxisse dicitur. Viuit illa gens, quae fatum hoc defendit, in omnibus fere partibus mundi.

§. III.

Turcae (alias Saraceni, Mahomedani dicti) Mahomedum tanquam autorem et doctorem suae religionis agnoscunt. Nomen Mahomedis Arabes atque Turcae per *Dilectum* interpretantur. Mahomedus fuit gente Arabs, patria Meccanus, et anno 571 lucem mundi aspexit. Huius nequissimi impostoris vita tam nota est, vt oleum atque operam perdere viderer, si illam stylo prosequi vellem. Adolefcens tredecim aut sedecim annorum, agasô fuit, et in Iesrab camelos pavit.



pauit. Eo tempore atram nubem supra eum apparuisse, narratur, ita vt herus augures consulere consultum duxerit. Sed hi responsum dederunt: Iste puer atram nubem super orbem christianum inducet; simulque augurum princeps, sui suaeque familiae salutem suppliciter ab ipso Mahomede impetravit. Quo facto, herus suum, quem metuebat, agafonem, mercatori cuidam, Abdimonepli vendidit, qui illum propter ingenii sui acumen atque fiduciam negotiationi applicuit. Mortuo Abdimoneple heram suam Chadigam in vxorem duxit, quo ipsi occasio affulsit, propter immensam opum abundantiam suam prosequendi finem. Hic Mahomed quandam finxit religionem et librum, cui nomen est Alcoran, a coelo descendisse affirmavit. Angelum Gabrielem a Deo missum fuisse, et ipsi omnia promulgasse, crebris sermonibus vsurpauit. Sed in aprico est, Mahomedum non integrum hunc librum composuisse, sed post mortem eius, focerum Abubecker, schedulas eius collegisse et systema quoddam conscripsisse. Hunc librum tanquam sanctissimum Turcae colunt, quia principia religionis eorum in se continet.

§. IV.

Hic liber Alcoran palmaria religionis Turcicae principia in se continet §. III. Tota autem religio Mahomedana VI absolvitur capitibus, teste Maraccio in refutatione Alcorani p. 25. 1) Doctrina de Deo, et eius vero Propheta Mahomed. 2) Doctrina de angelis, quos sibi maximarum voluptatum cupiditate flagran-

tes

tes fingunt 3) Doctrina de libris sanctis, et praecipue de Alcorano. 4) Doctrina de Prophetis, quorum primus Adamus, vltimus vero et optimus Mahomedus fuit. 5) Doctrina de die extremi iudicii, et 6) Quod nos attinet, Doctrina de fato. Hi sex articuli sunt praecipua principia fidei Turcae, quae secundum eorum idioma ita exprimere debent: Amentu billahi ve, malai Ketihî ve, Kutubihî ve, rufulihî, velgeuim illâhîri ve Kader hayir ve scerrinim allah. i. e. Credo in Deum et angelos, et libros sanctos et prophetas, et in diem extremi iudicii, et in praedestinationem mali, et boni Altissimi Dei.

## §. V.

Fatum Turcicum igitur ad articulos religionis Mahomedanae pertinet §. IV. vt igitur pertractationis huius cardinem attingamus, nos accingamus, huius fati reddere explanationem. Turcae credunt secundum VI. articulum religionis suae §. IV. omnes euentus hominum, omniaque quae in mundo fiunt, a Summo Numine esse decreta, ita vt impossibile sit, hoc vel illud in mundo fieri non posse. Hanc distinctionem adhibent, omnia mala quidem a Deo decreta esse, sed ita, vt Deus in illis non habeat beneplacitum, sed malum odio prosequitur. Profitentur, ista decreta, quae a Deo determinata sunt, esse immutabilia et firmissime sibi persuadent, si hoc vel illud fatum hominibus sit destinatum, tunc impossibile esse, illud euitare, neque per causas naturales neque per vlla media alia. Frustra-  
neum

neum igitur est, si homo, vt huic vel illi euentui se subducat, diligentiae nervos intendit. Hanc esse genuinam atque veram fati Turcici opinionem, in sequentibus probabimus ex experientia atque Turcarum exemplis.

### §. VI.

Quidam Turcarum hanc praedestinationem siue fatum ita explicant, vt Deum tanquam autorem omnis mali cum Manichaeis constituent, imo fatum aliquod absolutum in mundum introducant. Sic enim loquitur BRIOT dans l'histoire de l'Etat present de l'Empire Ottoman Liur. II. chap. VIII. p. 283. Il y en a parmi eux, qui affirment cette opinion avec tant de hardiesse, qu'ils ne craignent pas de dire, que Dieu est auteur du mal, sans se servir d'aucune distinction, ni d'aucun adoucissement, pour mettre à couvert la pureté de Dieu de la souillure du péché, ressemblant en cela aux herétiques Manichéens. Hi expresse affirmant, homines nullis viribus atque libertate esse praeditos aliquid faciendi, sed Deus est qui nos ad omne malum vel bonum per omnipotentiam suam cogit. Sectarores huius sententiae eorum idiomate *Giabores* vel *Iebares* appellantur et in hac materia sunt perniciosissimi. Conferatur *Tractatio Germanica, De Ottomanische Psorte. Cap. IX. p. 80.*

### §. VII.

Turcae affirmant, omnia bona et mala propter decretum et prouidentiam diuinam in mundo fieri

B

debe-

debere. Omnia sunt praedestinata secundum sententiam Turcarum, quaecunque vel iam facta vel adhuc fienda. Videatur WALLICHIVS *in religione Turcica* p. 20. Afferuatam in caelo quandam tabulam Turcae fingunt, cui omnia diuina decreta atque fata hominum ab aeterno sunt inscripta. Hanc tabulam nomine *Leuh* et *Mafuz* insignant. Quidquid huic tabulae inscriptum est, id fieri debet in mundo, et prorsus impossibile est, illud fieri non debere. Omnium fidelium atque piorum hominum fides, bona opera, cum praescientia, voluntate, praedestinatione atque consensu Dei fiunt, eamque ob causam contingunt, quia huic tabulae inscripta sunt. Omnium infidelium atque impiorum mala opera et peccata, cum praescientia quidem, praedestinatione, decreto atque inscriptione in hanc tabulam, sed non cum consensu atque beneplacito Dei in mundo fieri affirmant. Hanc turpissimam opinionem Turcae pro articulo fidei habent, et si quis horum decretorum siue praedestinationis rationem inuestigat, responsionem audit, hominibus non esse licitum, decretorum diuinorum rationem inquirere, quia sunt mysteria, quorum ratio in solo Deo est posita. Immo in Deum grauius peccari non posse, quam si in imutabilia eius decreta penetrare, et impossibilia scire desideramus.

### §. VIII.

*Giabores* §. VI. adducti, veram sententiam Alcorani amplectuntur. Alcoranus enim docet, teste WALLICHIO *in religione Turcica* p. 6. et 8. Turcas profiteri

teri debere, esse vnum atque verum Deum, a cuius nutu et voluntate omnia mala pendent, immo originem suam trahunt; qui non solum fidelium fidem, piorum pietatem, sed etiam omnium Ethnicorum infidelitatem et impiorum nequissima facta vult. Fatum igitur, quod Giabores statuunt, absolutam impossibilitatem aliter effendi in mundum introducit, idque ex eo probant, quod secundum doctrinam Alcorani omnia mala atque bona a Dei voluntate pendent, ita, vt Deus, licet malis non habeat beneplacitum, tamen illa absolute necessario eligere debeat. §. V. Fatum igitur hoc Turcicum voluntas atque decretum diuinum absolute necessario exsequi debet, et est necessarium absolute, sin minus, nulla esset ratio sufficiens cur Deus mala elegisset, et nos ad malum cogeret cum illud odio prosequatur, et in illo non habeat beneplacitum secundum ipsam eorum sententiam. §. V. Ergo hoc fatum est absolutum.

§. IX.

Id quod §§. praec. adtulimus, experientia, exquisitissima omnium rerum magistra, nos docet. Affirmauimus enim §. V. Turcas credere nullum euentum in mundo per causas naturales atque vlla media euitari posse, affirmauimus, quosdam eorum fatum absolutum profiteri §. VIII. id etiam Mahomedani factis et exemplis probant. Omnes enim atque singuli, qui hanc regionem visitauerunt, coniunctis viribus testantur, Turcas peste faeuente, se non vrbibus subducere. In domibus eorum, qui peste infecti sunt, habitant,

eos visitant, eorum lectis incumbunt, eorum vesti-  
 menta atque indusia induunt. Aegroti atque sani in  
 vno lecto dormiunt, etsi apertis oculis, Christianos  
 vitam suam conseruantes cernant, qui vrbes peste in-  
 sectas fugiunt, etsi ingentem hominum numerum  
 vno die, vna saepius hora mortem subeuntem obser-  
 uent, tamen ab vrbibus suis non discedunt. Scripto-  
 res regionis Turcicae vnanimiter declararunt, vna  
 aestate saepius 10. 20. 30. 40. vsque ad 50000. ho-  
 minum peste vel aliis virulentis morbis Constantino-  
 poli morti succumbere debuisse, cuius ratio, secun-  
 dum sententiam medicorum, in eo consistit, quod  
 Mahomedani raro cibos calidos capiunt, sed fructus  
 incoctos et crudos manducant, quibus sanguis eorum  
 corrumpi et infici debet. Hoc tamen Turcae parum  
 curant, sed fato factum esse, et non aliter fieri potu-  
 isse affirmant. Peste mortuorum vestes vel emunt vel  
 vendunt, et vxores virorum, peste interfectorum,  
 triduo in vxores ducunt, ita vt de fati veritate pror-  
 fus conuicti videantur. Saepius se libenter interficere  
 finunt cum sibi persuadeant, id iam fati esse conditi-  
 onem, et, si tali modo moriuntur, se alio modo mori  
 non posse. In historica delineatione legationis Comi-  
 tis de *VIRMONDT* historia legitur quae memoratu  
 digna videtur. Quidam regionis Turcicae Satrapa  
 cui nomen est Kara Mustapha, se ad summum hono-  
 ris et felicitatis fastigium euectum saepius asseruit, ni-  
 hil in mundo amplius esse putauit, quod suam glori-  
 am atque felicitatem perfectiorem reddere posset. Sed  
 aliquid sibi deesse arbitratus, scilicet, vt atroci morte  
 vitam

vitam finire possent, qua in honorem Sultani, et in perpetuam sui nominis gloriam martyr euasurus esset. Sultanus desiderio eius satisfecit, et ob summam eius fidem ipsi praestitam, et ad consequendam hanc gloriam, illum serico laqueo interfici iussit. Huius argumenti narrationes non paucae leguntur, Turcas mortem non metuere, sed si illam subire debent, iam fato statutum hoc esse, arbitrantur. Si bella gerunt, perniciosissima vitae pericula non euitant, sed saepe consilia desperatissima et periculosissima concipiunt. Multa millia morti pertinaciter se subiciunt, et in maxima pericula se ipsos praecipites reddunt, ut eorum corporibus fossae et fluiui impleri, sodalesque eorum super illos transgredi possint. Si hostibus palmam praeripiunt et victoriam consequuntur, id certissimum indicium esse opinantur, religionem eorum esse veram. Si enim religio eorum Deo non placeret, haudquaquam ab ipso decretum esset, ut victoriam consequerentur. Eamque ob causam Turcae Iudaeos inter omnes gentes maledictione atque maximo odio prosequuntur, quia nulla habitacula fixa possident, sed in toto terrarum orbe dissipati viuunt. Quis igitur non videt, Turcas de fati sui veritate prorsus conuictos esse?

## §. X.

Mahomed in Alcorano expresse praecepit, affectus suos nulla pericula vitae euitare debere, ea ex ratione, quia Deus omnes nostros dies iam numerauit, et ex aeterno et immutabili decreto absolute necessario fuit, quidquid homini eueniendum est. Tur-

cae affirmant, omnium hominum fronti iam inscriptum esse, quicumque et quales euentus ipsis contingere debeant. Hanc praedestinationem atque decretum nomine *Nassib* et *Tacdir* insigniunt, quod per fatum, per sortem vel fortunam explicari posset. Hoc *Nassib* vel fatum in libro quodam caelesti consignatum est, qui caelestis liber omnes hominum casus et euentus in se continet, et qui nulla ratione, nullis mediis, nulla prudentia, nullis causis declinari possunt. Si igitur mori fatum est, frustra declinatur, sin contra, stulte metuitur. Omnibus atque singulis hominibus certum viuendi tempus destinatum est, quod nullo modo prolongari neque diminui potest, et si hanc vitae metam attigerimus, mors ineuitabilis, sin minus, nullis periculis, nulla occasione, nulla vi homo fata sua anteuertere potest.

## §. XI.

*BOSIUS* in *imperio Turcico* §. 32. arbitratur, hanc opinionem Turcis inde esse obrusam, quod in bellis omnia strenuo agerent animo, et dirissima rerum discrimina flocci facerent. Non admiratione dignum est, Turcas talia absurdissima principia credere, si quidem in eorum regione neque studia florent, neque florere debent. Studiorum eorum summa in eo consistit, quod Arabicam calleant linguam, quod versus quosdam pangant, quod articulos Alcorani recitare queant, quod terse nitideque scribant, quod artem musicam tractent, sed Philosophi, quos *Talibulimos* vocant, in Turcica regione rarae sunt aues.  
Lo.



Logica, Physica, Metaphysica, Mathematica sunt scientiae, quae ab illis parum pertractantur. Hisce scientiis incumbere, neque flos religionis neque status imperii suadet. Si enim philosophicis imbuerentur principiis, me latet, qua ratione talem absurdam religionem amplecti possent. Et si hoc Turcae agnoscerent, totum eorum imperium rueret.

§. XII.

Hanc sententiam fati in Sacra Scriptura fundatam esse, Turcae profitentur. Illum citant locum, quo dicitur: quomodo olla figulo dicere potest, cur me sic fecisti? Obdurefcam cor Pharaonis: Iacobum dilexi, Esauum odi etc. Sed quomodo ex hoc sacrorum oraculorum fonte hoc fatum deriuari possit, nemo mortalium, qui sanae mentis est, perspiciet. Probe est notandum, Turcas vetus testamentum in summo habere honore, et cum eorum religio ex principiis Christianae et Iudaicae religionis sit conglutinata, vetus testamentum tanquam librum diuinum venerantur. Attamen Alcoranum, post ex coelo delapsum, voluntatem Dei perfectius et distinctius explicasse, Turcae fabulantur. Quamobrem hunc librum inter omnes maxima veneratione colunt, ita vt illum illotis manibus non attingant, atque omnes schedulas conscriptas auferant, ne pedibus calcari, aut inquinari accidat, cum versus Alcorani aut nomen Dei ipsis inscriptum esse possit. Nemo audet Christiano, aut alterius religionis homini vendere Alcoranum, aut alia eorum scripta, ne abiecta terantur pedibus, vel

vel immundis manibus contrectentur, alioquin capitis poena plecterentur. Saepe quosdam versus Alcorani, schedulis inscriptos, collis et brachiis Turcae affigunt, qui vel incantatione, vel virulentis morbis, vel aliis morbis affecti sunt, ut ab omni periculo corporis vel animae securi reddantur. Orta tempestate hos versus antennis naus, fluctibus maris iactatae, imponunt, aut vexillis annectunt, si in acie manus conferere volunt. Maximum apud illos habetur peccatum, huic sanctissimo libro tergum vertere, omnes fere accentus atque periodos numerant, et illos tanquam Deos venerantur, qui scientia huius libri polent, aut illum memoriter recitare possunt, quia hi legem in scrinio pectoris conseruare dicuntur. Ex quo satis superque liquet, Turcas hunc librum maxime colere, et doctrinam eius summa veneratione prosequi debere. Et quid admirandum, Turcas doctrinam de fato tam stricte, tam firmiter credere, cum Alcoranus ipsis talem perniciosissimam suppeditauerit opinionem. §. VIII.

### §. XIII.

Sicut inter omnes fere gentes schismata sunt exorta, sic etiam Turcae hanc experti sunt vicissitudinem. Duo palmaria diuortia faciunt Persae et Mahomedani. Turcae Mahomedem pro summo et ultimo habent Propheta, Persae vero Aly. Hi credunt, quod Deus Angelo Gabrieli praeceperit, ut Alcoranum Aly traderet, qui autem ex negligentia Mahomedii obtulerit. Vid. LEYNCLAVIUS *in annalibus Tur-*

*Turcicis p. 74. 75. OLEARIVS et HOTTINGERVS.*  
 Vnanimiter affirmant, Aly quidem discipulum Mahomedis fuisse, sed multo maiores et grauiores inspirationes habuisse, eaque ob causam eius interpretationem multo perfectiorem esse quam Mahomedis. Turcae Alcoranum a Persis corruptum esse asserunt, et illos nomine abiectorum a Deo, calumniatorum Sanctissimi Prophetæ appellare nunquam non solent. Orthodoxi, siue illi, qui veram Alcorani amplectuntur doctrinam, dicuntur *Muselmanni*, quod vocabulum vi Etymologiae suae, Pacificos saluatos exprimit. Haeretici vocantur *Cbecidæi*, a Principe Agarenorum Zaecide dicto, qui non solum Mahomedem eorum Prophetam multis contumeliis et calumniis affecit, verum etiam nepotes eius siue filios Aly occidit. Vulgo numerantur 72. haereses, sed multi adsunt, qui hunc numerum locupletare videntur.

#### §. XIV.

Inter hos schismaticos referendi sunt illi, quos Turcae *Kedares* appellare solent. Hi Giaboribus sunt oppositi et illud fatum, de quo §. §. praeced. locuti sumus, tanquam absurdum explodunt. Haec secta, quae alias *Alkadriat* dicitur, praedestinationem negat, et credit, omne malum vel bonum, quod homines perpetrant, a voluntate eorum pendere, et in eorum libertate positum esse. Nomen suum a voce *Kadar* trahunt, quae nihil aliud quam *posse* significat, quia *Kedares* affirmant, omnes malas vel bonas actiones in hominum potestate esse, et si volunt, bona opera

C

opera

opera agere posse. Finis eorum est, a Deo omnem malignitatem atque iniustitiam auertere. Hi saepe a locis peste infectis pedem referunt, si ipsis discedendi occasio affulget, neque tot pericula euidētissima subeunt, si in eorum potestate positum est, sed pauci adsunt qui hanc ingrediuntur sententiam.

### §. XV.

Fatum, quod Giabores statuunt plerumque nomine *Fati Turcici* venit. Numerus eorum, qui hoc credunt, tantus est, vt reliquos omnes longe superet. Palmaria eius momenta sunt; vt Turcae 1) omnes euentus mundi necessarios statuunt §. V. VI. 2) vt haec necessitas a nullis causis pendeat, neque per vllas causas naturales vel media ordinaria euitari possit. §. V. Quod de hac opinione Turcae prorsus persuasi sint, eorum exemplis et factis fatis superque probatum est §. IX.

### §. XVI.

Ex hisce §. XIII. allegatis distincta illa definitio suppeditari potest, scilicet *Fatum Turcicum* est, necessitas euentuum a nullis causis naturalibus atque mediis ordinariis pendens. Agedum igitur accingamus nos ad inquirendum, quid de hoc fato sentiendum esset, cum iam illud ex historia vberius delineauerimus. Sequens sectio huius disputationis luculentissime nos docebit, illud cum nullis rationis principiis conciliari posse.

SECTIO

## SECTIO II.

SISTENS

DEMONSTRATIONEM FATI  
TVRCICI IMPOSSIBILIS.

## §. XVII.

**N**on potest idem simul esse et non esse.

*Scholion.*

Haec propositio dicitur principium contradictionis, et adeo evidens est, ut consentientibus omnibus pro principio absolute primo habeatur.

## §. XVIII.

Aliquid est, cui notio positiua respondet. Nihil, cui nulla notio positiua respondet. Contradictio est simultanea eiusdem de eodem affirmatio et negatio. Ratio est id, ex quo aliquid cognoscitur, et ratio sufficiens dicitur, ex qua singula in ente cognoscuntur.

## §. XIX.

Nihil est sine ratione sufficiente.

*Scholion.*

Haec propositio dicitur principium rationis sufficientis, et pro eius inuentore, Archimedes plerumque habetur. Sed LEIBNIZIUS Philosophorum Dux atque Phoenix, illam obliuione iam sepultam iterum resuscitauit, et sine demonstratione in scriptis suis vitupauit. Illo praesente nullam addo demonstrationem, quia haec in libris metaphysicis abunde inuenitur. Duo haec principia, contradictionis scilicet et rationis sufficientis, sunt omnis veritatis prima fundamenta, et quicquid ex illis legitima consequentia deducitur id in dubium vocari non potest.

C 2

§. XX.

## §. XX.

Connexa dicuntur ea, quorum vnum rationem suam sufficientem in altero habet. Mutabile est, quod aliter esse potest. Immutabile, quod haud aliter esse potest.

## §. XXI.

Mundus est series omnium rerum mutabilium, inter se connexarum.

## §. XXII.

Hic mundus existit, quod experientia satis superque constat. Omnes res in mundo sunt mutabiles §. XXI. Ergo mundus ipse mutabilis est §. XX. omnia sunt inter se connexa §. XXI. siue vnum rationem suam sufficientem existentiae in altera habet. §. XX.

## §. XXIII.

Si posito A tollitur B, A. et B. opposita dicuntur. Quod contradictionem inuoluit est impossibile. Quod non, est possibile. Quod in se spectatum contradictionem inuoluit, est absolute, quod cum alio nexu, est hypothetice impossibile. Cuius oppositum possibile, est contingens. Cuius oppositum absolute impossibile, dicitur absolute necessarium, cuius oppositum hypothetice impossibile, est hypothetice necessarium.

## §. XXIV.

Quicquid mutabile, illud sit contingens necesse est. Quicquid enim est mutabile, illud aliter esse potest, quam est §. XX. Ergo eius oppositum est possibile.

bile. Cuius oppositum possibile, dicitur contingens §. XXIII. Ergo quicquid mutabile, illud etiam est contingens.

§. XXV.

Hic mundus non est absolute necessarius, sed contingens. Nam eius oppositum vel est possibile vel impossibile. Impossibile non est, quia est ens mutabile, et aliter esse potest. §. XXII. XX. Est igitur oppositum eius possibile. §. XXIV. Cuius oppositum possibile est, dicitur contingens, et cuius oppositum absolute impossibile, est absolute necessarium §. XXIII. ergo hic mundus non est absolute necessarius sed contingens.

§. XXVI.

Ratio sufficiens mutationis est *actio*. *Causa* est ens, quod existentiae alterius rationem sufficientem in se continet. *Effectus* vero est ens, quod existentiae suae rationem sufficientem in alio ante habet. *Actio* singularis cum effectu suo dicitur *eventus*.

§. XXVII.

Posita causa ponitur effectus. Causa enim est ens, quod alterius existentiae rationem sufficientem in se continet. §. XXVI. Ergo vel aliquid adest, cuius rationem causa in se continet vel nihil §. XVIII. Si nihil adest, nihilo responderet notio positiva, scilicet quod causam habeat, sed id est contra §. XVIII. Ergo aliquid adesse debet, cuius existentiae ratio sufficiens in causa continetur. Sed id dicitur effectus §. XXVI. Ergo posita causa ponitur effectus.

§. XXVIII. Posita ratione sufficiente ponitur causa, et sublata causa, tollitur ratio sufficiens. Causa enim est id, quod existentiae alterius rationem sufficientem in se continet §. XXVI. Ponamus igitur, nihil adesse quod hanc rationem in se contineat, nulla adsit ratio sufficiens necesse est. Sed hoc est impossibile §. XIX. Ergo posita causa ponitur ratio sufficiens. Q. E. P. Sed sublata causa tollitur ratio sufficiens. Causa enim rationem in se continet sufficientem alterius existentiae. Si haec tollitur, tollatur necesse est id quod per eam est. Ergo sublata causa tollitur ratio sufficiens.

### §. XXIX.

Omnes euentus in mundo sunt effectus, et habent suas causas. Nam omnes euentus mundi vel habent rationem sufficientem existentiae vel non. Si non haberent, aliquid esset sine ratione sufficiente, quod est contra §. XIX. Ergo habent rationem existentiae sufficientem. Sed habent hanc rationem vel in se, vel in alio. In se non habent, quia tunc existere deberent, antequam existant, quod esset absurdum. Ergo euentus mundi habent rationem existentiae sufficientem in alio. Ens, quod existentiae suae rationem sufficientem in alio habet, dicitur effectus §. XXVI. et id quod eius existentia rationem sufficientem in se continet, causa eius §. XXVI. Ergo euentus mundi sunt effectus, et habent suas causas.

### Scholion.

Veritas huius theorematis experientia elucescit. Si enim vitae nostrae curriculum accurate perpendamus, edocuemur, omnes rerum



rerum humanarum cursus ita concatenatos esse, ut vnus semper sit causa alterius, et hunc effectum produxerit.

§. XXX.

Omnes euentus in hoc mundo sunt contingentes. Nam omnes res in mundo sunt mutabiles §. XXI. XXII et quicquid mutabile, est contingens §. XXIV. Ergo omnes euentus in mundo sunt contingentes.

§. XXXI.

Nihil igitur in mundo absolute necessario fit, sed eius oppositum semper est possibile, §. XXX. et quaecunque in mundo eueniunt, suas causas praeuias habent §. XXIX. et quia omnia in mundo connexa §. XXII. datur nexus causarum in serie continua.

§. XXXII.

Casus est euentus in mundo, cuius ignoratur ratio sufficiens. Casus purus seu absolute fortuitum est, cuius nulla omnino datur ratio sufficiens.

§. XXXIII.

Casus purus neque in hoc, neque in vlllo alio mundo est possibilis. Nam si casus purus possibilis esset, tunc aliquid esset sine ratione sufficiente §. XXXII. Sed nihil est sine ratione sufficiente §. XIX. Ergo casus purus neque in hoc neque in vlllo alio mundo possibilis est.

§. XXXIV.

Veritatem determinatam habere illa dicuntur, quorum existentia est affirmanda, et non existentia neganda.

§. XXXV.

§. XXXV.

Quaecunque in mundo eueniunt, habent suam veritatem determinatam. Nam quaecunque eueniunt, dum eueniunt existunt, ergo eorum existentia est affirmanda et non existentia neganda. Si hoc non esset, sequeretur, idem simul esse et non esse posse, quod contra. §. XVII. Id cuius existentia affirmanda et non existentia neganda, habet veritatem determinatam §. XXXIV. Ergo quaecunque in mundo eueniunt, habent suam veritatem determinatam.

§. XXXVI.

Datur Deus, siue ens quoddam extramundatum, quod omnes compossibiles realitates in summo gradu possidet, et quod hunc mundum creauit.

*Scholion.*

Hanc veritatem sine demonstratione praestruxi, cum in omnibus fere Metaphysicis illa luculentissimis fulciatur argumentis. Neque id Turcae negant, quibuscum praecipue disputamus. Credunt enim secundum primum articulum Alcorani vide §. IV. Sect. I. disput. vnum et verum esse Deum. Omnes autem ut euitemus ambages, paginarum nostrarum exigit compendium.

§. XXXVII.

Medium conuenientissimum dicitur, in quo ratio sufficiens omnium eorum continetur, quae finem maxime promouent. Finis est id, cuius obtinendi causa ens intelligens agit. Summa sapientia est scientia finibus suis applicandi media conuenientissima.

§. XXXVIII.

Deus possidet summam sapientiam, siue est ens sapien-

sapientissimum. Deus enim omnes realitates composibiles possidet §.XXXVI. Ergo et summam sapientiam.

§. XXXIX.

Omnipotentia est facultas omnibus possibilibus existentiam largiendi. Ergo est realitas, et Deus illam possidet, siue est omnipotens. XXXVI.

§. XL.

Necessitas consecutionis est absoluta impossibilitas aliter essendi. Fatum est necessitas euentuum in mundo. Fatum Stoicum vulgo dicitur necessitas consecutionis euentuum in mundo, quae quidem a Dei decreto, sed necessario et ratione obiectiua destituito pendet.

§. XLI.

Fatum Turcicum §. XVI. Sect. I. allatum, dispesci potest in fatum crassum et Subtile. *Crassum* dicitur, absoluta necessitas euentuum, a causis naturalibus non pendens. *Subtile* dicitur hypothetica necessitas euentuum, sub conditione omnipotentiae diuinae, non pendens a causis naturalibus et mediis ordinariis.

*Scholion.*

Vt haec sententia rite intelligatur, sulsus de hac re loquamur. Quidam Turcarum statuunt absolutam impossibilitatem aliter essendi. Absolute impossibile esse aiunt, hunc vel illum euentum in mundo non contingere. Deus quidem illum decreuit, sed etiam aliter decernere non potuit. Hi crassum statuunt fatum, et in hac materia sunt pessimi. Quidam vero fatum ita explicant, non absolute quidem esse impossibile, vt hoc vel illud eueniat, sed per omnipotentiam diuinam oppositum fieri posse; attamen non fieri, cum Deus, qui hoc fatum scripsit, per omnipotentiam suam omnes causas naturales impediatur, vt effectus earum

D

non

non eueniat, sed vt id praefetur, quod semel decreuit. Omnes igitur euentus se contingere debent, quia Deus illos statuit, et semper per omnipotentiam suam agit, vt certissime eueniant. Circa terminum vitae id praecipue statuitur, scilicet omnibus atque singulis hominibus certus vitae terminus est a Deo additus, quem transgredi non possunt, sed si ille terminus iam praeterlapsus est, Deus omnes causas naturales, omnia media ordinaria impedit, quibus homo diutius viuere posset; et si non praeterlapsus est, omnes causas naturales per inmensas suas vires impedit, quominus homo mori possit. Multi christianorum saepe fatum Turcicum subtile in communi vita vsurpant, nam si nulla media, nullamque operam hoc vel illud euitandi adhibuere, hoc vel illud fieri debuisset, mutari non potuisse, arbitrantur.

§. XLII.

Fatum Turcicum crassum est fatum Stoicum. Hoc fatum enim est necessitas consecutionis euentuum in mundo §. XLI. et §. XL. et necessitas, quae a Dei decreto pendet §. V. et quidem absolute necessario, et sine ratione obiectiua §. VIII. Sed talis euentuum necessitas dicitur fatum Stoicum §. XL. Ergo fatum Turcicum crassum est fatum Stoicum.

*Scholion.*

Omnes Scriptores relationum Turcicarum contendunt, innumeros Turcos fatum Stoicum credere. Stoici dicunt, quod Deus ipse fato subiectus sit, id etiam de Turcis est affirmandum. Nam quidam Deum sibi tanquam auctorem mali fingunt §. VI. et mala a Deo decreta esse necessario affirmant: etsi in illis non habeat bene placitum, tamen illa mala decernere debuit. Haec est genuina sententia Turcorum, qui Glabores appellantur, conferatur Sectio I huius disputationis.

§. LXIII.

Fatum Turcicum crassum est impossibile. Nam fatum Turcicum necessitatem consecutionis euentuum

tuum in mundo admittit §. XL. XLI. haec autem est absoluta impossibilitas euentuum mundanorum aliter essendi. §. XL. Ergo absolute impossibile est, secundum fatum hoc, vt euentus mundi aliter esse possint. Si non aliter esse possunt, sunt immutabiles §. XX. et eorum oppositam est impossibile, siue sunt absolute necessarij. §. XXIII. Sed euentus mundi sunt mutabiles §. XXII. et contingentes §. XXX. neque aliquid fit in mundo absolute necessario §. XXXI. Quia autem hoc contradictionem inuoluit, et quod contradictionem inuoluit impossibile est, §. XXIII. sequitur vt fatum Turcicum crassum impossibile sit.

#### §. XLIV.

Fatum Turcicum, quod crassum nuncupamus, casum purum in mundo admittit. Nam fatum Turcicum crassum nullam habet rationem sufficientem. Ponamus rationem sufficientem habere, tunc haec ratio vel est in mundo, vel in ente extramundano siue Deo. In mundo non est, quia fatum Turcicum a nullis causis naturalibus pendet §. XVI. Sect. I. et §. LXI. Sect. II. et sublata causa tollatur ratio sufficiens necesse est. §. XXVIII. Ergo non est in mundo. Neque in Deo. Deus enim secundum eorum sententiam omnes euentus absolute necessario et sine ratione decernere debuit §. VIII. Sect. I. Absolute impossibile est vt euentus aliter sint §. XL. XLI. Ergo ex Deo non intelligi potest, cur euentus ita sunt, non alio modo. §. XVIII. ratio igitur sufficiens non est in Deo, neque in mundo. Si autem ratio sufficiens fati Turcici crassi

non est in mundo neque in Deo, nullam habeat rationem sufficientem necesse est. Quod nullam habet rationem sufficientem dicitur casus purus §. XXXII. Ergo fatum Turcicum crassum, casum purum in mundo admittit.

*Scholion.*

Affirmani in hoc §. rationem sufficientem fati Turcici crassi non esse in Deo. Fortasse quis obuerteret, omnino esse rationem sufficientem fati huius in Deo, scilicet in decreto eius. Hanc igitur responsonem afferret, euentus mundi contingere, quia Deus illos decreuit. Sed hunc latet, quid nos per rationem sufficientem, siue rationem singulorum velimus §. XVIII. Si enim amplius quaero, quare hoc vel illud Deus decreuit, secundum ipsam Turcarum sententiam, nulla adest ratio subiectiua neque obiectiua: Deus enim malum odio prosequitur secundum sententiam Turcarum, et malum necessario decernere statuitur §. V. P. I. Non igitur adest ratio sufficiens fati huius in Deo, ex eo enim non intelligi potest, cur hic vel ille euentus in mundo accidat.

§. XLV.

Fatum crassum Turcarum igitur neque in hoc, neque in alio mundo possibile est §. XXXIII. quia nullus casus purus in vilo mundo existere potest. En noquam demonstrationem, qua impossibilitas huius fati euicta est.

§. XLVI.

Fati Turcici crassi impossibilitate iam euicta, nunc inquiramus, quid de subtili Fato Turcarum sit sentiendum. Vt hunc scopum attingamus, sequentia prius sunt noranda.

§. XLVII.

Naturale id omne dicitur, quod rationem existens-

istentiae suae sufficientem in rebus ad mundum pertinentibus habet. Quod non habet, dicitur supernaturale. Euentus mundi supernaturalis, qui rationem existentiae suae in Ente extramundano habet, dicitur miraculum.

§. XLVIII.

Deus est illud ens extramundanum §. XXXVI. Ergo Deus est causa miraculorum §. XXVI. siue rationem sufficientem in se continet cur miracula existant. §. xxvi.

§. XLIX.

Omnis euentus, qui non a causis naturalibus pendet, est miraculum. Nam omnis euentus, qui non a causis naturalibus pendet, non habet rationem sufficientem existentiae in rebus ad mundum pertinentibus, ergo est supernaturalis. §. XLVII. Si supernaturalis est, vel nullam habet rationem sufficientem, sed per casum purum accidit, vel habet rationem existentiae suae sufficientem in ente extramundano. Primum est impossibile, quia nihil sine ratione sufficiente §. XIX. neque casus purus possibilis §. XXXIII. Ergo habet rationem in Ente extramundano. Euentus supernaturalis, qui rationem existentiae suae sufficientem in ente extramundano habet, est miraculum §. XLVII. Ergo omnis euentus, qui non a naturalibus causis pendet, est miraculum.

§. L.

Fatum Turcicum, quod subtile vocamus, supponit euentus, qui non pendent a naturalibus causis et mediis a Deo ordinatis, sed rationem suam existentiae

D 3

suffi-

sufficientem in omnipotentia diuina habet. §. XXXIX.  
Ergo fatum Turcarum subtile supponit miracula  
§. XLIX.

§. LI.

Fatum Turcarum subtile supponit ingentem numerum miraculorum in mundo. Hoc fatum enim est necessitas euentuum non pendens a naturalibus causis §. XXXIX. Et praecipue circa mortem hominum statuitur §. XXXIX. Ergo mors omnium hominum secundum eorum sententiam est miraculum. Nunc animi lance ponderemus quaeso, quantus numerus hominum vno anno, vna hora, vno fere momento in hoc terrarum orbe mortem subeat (experientia teste). Animi lance ponderemus quaeso, quot millia a primo initio mundi iam vixerint et mortui sint, horum autem numerus tantus est, vt a nobis comprehendi non possit. Quis negabit igitur, fatum Turcicum subtile ingentem miraculorum numerum in mundo supponere.

§. LII.

Media superflua in mundo Deus adhibere dicitur, si id supernaturaliter producit, quod naturaliter fieri potest. Cum autem Deus summam possideat sapientiam §. XXXVIII. Et semper media conuenientissima eligat §. XXXVII. Deus nulla media superflua adhibeat necesse est.

§. LIII.

Mundus est series omnium rerum inter se connexarum §. XXI. Ergo omnia in mundo sunt connexa §. XXII. Ergo vnum in altero rationem suam sufficientem



entem habet §. XX. Ergo vnum est causa alterius §. XXVI. Sed posita causa ponitur effectus §. XXVII. Et omnes euentus mundi sunt effectus, et habent suas causas §. XXIX. Ergo euentus mundi naturaliter ponuntur, et certe sequentur existentibus iam suis causis.

§. LIV.

Miraculum non habet rationem sufficientem existentiae suae in rebus ad mundum pertinentibus, sed in Deo §. XLVII. Ergo non fluit ex causis praecius et mediis a Deo ordinatis, ergo impeditur nexus causarum patrato miraculo. Si hic impeditur, ratio sufficiens adesse debet, cur impediatur §. XIX. Haec ratio sufficiens est, vt nexus mundi vel melior euadat vel non. Si non melior euadit, Deus non est sapientissimus, quia minus bonum meliori praefert, et media non conuenientissima eligit. §. XXXVII. Sed Deus est sapientissimus §. XXXVIII. Ergo nexus mundi melior euadere debet. Ergo Deus tunc miraculum patrare debet, si nexus mundi melior euadere potest.

§. LV.

Deus est omnipotens §. XXXIX. et mundus est contingens §. XXV. Ergo miraculum patrare potest. Sed Deus etiam summam sapientiam possidet §. XXXVIII. Ergo in nexu mundi semper media conuenientissima eligit §. XXXVII. i. e. talem nexum mundi eligit, quem non saepius impedire debeat. Ergo nexus mundi, huius, quem Deus elegit, non saepius melior fieri potest. §. LIV. Ergo Deus non multa miracula in mundo facere potest nec facit §. LIV. et nexum causarum et mediorum ordinariarum rarissime impedire debet et impedit. §. LIV.

§. LVI.

## §. LVI.

Fatum Turcicum subtile est absurdum. Nam fatum hoc supponit ingentem miraculorum numerum in mundo, quae quouis die, quavis hora, quouis momento a Deo patrantur §. LI. Sed hoc contradicit summae sapientiae Dei, qui multa miracula nec facere potest illaesa sua sapientia nec illa facit §. LV. Ergo fatum Turcicum subtile est absurdum.

## §. LVII.

Euentus mundi habent suam veritatem determinatam. §. XXXV. et naturaliter ponuntur et sequuntur existentibus iam suis causis §. LIII. et Deus hunc nexum causarum et mediorum ordinariorum in mundo rarissime impedit §. LV. neque superflua adhibet media §. LII. Sed fatum Turcicum non solum subtile sed etiam crassum est necessitas euentuum, non pendens a suis causis et mediis ordinariis §. XXXXI. §. XVI. Ergo fatum Turcicum vtrumque ex hac ratione etiam est impossibile.

## §. LVIII.

Haec sunt, B. L. ! quae properanti calamo, ob temporis angustiam, publicae disquisitioni submitto. Numen, quod omnia sapienter gubernat, hostes nostros, qui hoc fatum credunt, lumine suo impleat, vt Christo nomen dent, et tandem agnoscant, quam absurdissimam religionem amplectantur. Vale et mihi faue, id est, quod humanissime rogo.


SOLI DEO GLORIA.

## ERRATA.

Pag. 17. §. XIV. *Kedares* l. *Kadaver*.

- 20. §. XXII. altera l. *altero*.





**W**ahrhaftig edler Freund, Du bist der Ehre wehret /  
 Dir wird mit allem Recht der Doktor-Hut beschert.  
 Fünf hohe Schulen hast Du albereit bezogen /  
 Ist unsre Julia Dir denn allein gewogen?  
 Wie kommts? daß Dich nicht längst ein großer Stücke krönt /  
 Da Du so früh den Geist zur Weisheit angewöhnt.  
 So gehst. Es weiß die Welt Gelehrte nicht zu schätzen /  
 Sie will den Vorzug nur in langen Titeln sehen /  
 Wie mancher hat bereits das beste Glück erreicht /  
 Der Deinen muntern Geist in keinem Stücke gleicht.  
 Die Künste scheinen sich in Dir vereint zu haben /  
 Du bist ein Philosoph von ungemeinen Gaben /  
 Ein Redner / wenn sein Fuß die Kanzel nur besteigt.  
 Die stärksten Seelen rührt / die größten Sünder beugt.  
 Ein Dichter / der gewiß der Preussen Stierde bleibet /  
 Der so viel Sprachen kennt / in allen Dichtend schreibet /  
 Ein Mann / der in der Kunst so wie Apelles strahlt.  
 Der die Natur besingt / und sie vor Augen mahlet.  
 Ich kenne Deinen Trieb / Du wirst mein Lob verschmähen /  
 Doch red' ich was ich weiß und was ich selbst gesehen.  
 Drum wünsch ich Dir ein Glück daß Deinen Thaten gleicht /  
 Das ehstens Dir die Bahn zur wahren Ehre zeigt.  
 Ich sehe meinen Wunsch schon völlig eingetroffen  
 Die Welt wird noch von Dir was ungemeines hoffen.

Diese wenige Zeilen widmete zum beständigen  
 Andenken der Freundschaft dem Herrn  
 Candidaten

**C. C. Wetweker**

Berufener Prediger des göttl. Worts bey den  
 Gemeinden zu Wieneburg und Loosheim.  
 im Stifte Hildesheim.

**E VIRO**

VIRO NOBILISSIMO  
IOAN. FRIDERICO WEITENKAMPFFIO  
MAGISTERII CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

HENRICVS GOTTLIEB GROTIAN.

*Exiguus sane, quibus circumscriptus sum, temporis limitibus ac terminis intercludor, quo minus laudum TVARVM, in primis vero TVAE in me benevolentiae iamiam defungar praecomio. Inique etiam facerem, nec facile essem ferendus, si dimidii quadrantis plagulae spatio, ea omnia conarer effundere, quae et singularis eruditionis TVAE ratio, et tam in nostra, quam in Halensi Academia sancte integreque inter nos culta consuetudo postulant, utpote quae non paginam, sed plagulam, quin imo plures plagulas, in enumeranda depraedicandaque doctrina TVA, TVIque in me amoris officiiis consumere iubent. Non possum tamen, quin hoc tempore, quo spartam mox obtinebis, praecleara ista virtute TVA et parta tot vigilis doctrina dignissimam, deditissimum TIBI contester animum meum. Gratulor ergo TIBI VIR DOCTISSIME, summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum Collegio TIBI iam decretor, et mox conferendos; gratulor quoque istud, quod erudito orbi sistis, studiorum TVORVM specimen, dissertationem scilicet inauguralem, omni laude dignissimam, et, cum studia Tua ad Dei gloriam reiue publicae emolumentum referas, successus exoptatissimos et reipublicae TIBIque auspiciatissimos, non solum precor, sed et ominor. Faveat Summum Numen laudabilibus istis conatibus TVIS, occasionemque praeclares illas animi doctes bonarumque litterarum praesidia in usum publicum proferenti fortunet quam plurimum. Denique, si et hoc addere licet, perpetuum TVVM erga me amorem, pro eo ac decet et par est, deponco, quin immo spero. Atque sic vale, et res TVAS bono cum Deo age feliciter, vel si mavis, felicissime. Scribebam in Acad. Jul. Carol. die XXI. Aprilis MDCCLI.*

AL MOLT' ILLVSTRE SIGNORE,  
IL SIGNOR  
GIOVANNE FREDERICO  
WEITENKAMPPF  
CANDIDATO DI FILOSOFIA DEGNISSIMO  
PADRONE MIO COLENDISSIMO  
FA SALVTAZIONE  
TOBIA GODOFREDO ZEISSER  
STVDENTE DI MEDICINA.

*Non è più giusto che d'attribuir i Lodi ai quegli  
che lo meritano. La Sapienza trova sempre un  
piacere singolarissimo di guardar e coronar i suoi figli  
massimamente se corrono caldamente alle virtù, e se di-  
micansi quasi affanato per riportar la precedenza nella  
cognizione fondata. V. S. SOGETTO di molto meri-  
to, è vero amante della Sapienza, la di Lei fatica è in-  
saziabile, la di Lei prudenza alta, ed il di Lei porta-  
mento presenta 'l ritratto delle buone qualità. Che ma-  
raviglia, se V. S. OGGI accetta l'onore da gran tem-  
po in qua meritato. Eh bene, mene rallegrò. All'  
auvenire volesse Iddio benedir i suoi disegnamenti e favo-  
rirli con ogui prosperità e benedizzione. Veramen-  
te, noi averemo a Lei un sostegno ed ornamento della  
Erudizione. Viva felice. Helmstadio ai XX Aprile  
MDCCLI.*

Ja, sollt es möglich seyn, daß meine Flöte schweige?  
Wenn jeder, der Dich kennt, Dein Glück mit Lust besingt,  
Daß meine Muse Dir nicht auch die Triebe zeige  
Da heute sich Dein Ruhm auf hohe Staffeln schwingt.  
Ich sehe eine Schaar, ich sehe einen Orden,  
Der mit der Weisheit so wie mit der Klingheit prangt  
Von diesen bist Du heut ein ächtes Mitglied worden  
Weil keiner sonst darzu, als der ihn ehrt, gelangt,  
O theures Königsberg zieh lauter solche Männer,  
Die der gelehrten Welt so lieb als nützlich sind,  
Die so der Wissenschaft als schöner Künste Kenner,  
Wie man an diesen Freund das beste Muster find.  
Wohlan so cröne Dich des Himmels reicher Seegen  
Weil Deine Stirne hier so manche Nächte schwitzt,  
Das Glück begleite Dich auf allen deinen Wegen,  
Bis deines Nahmens Ruhm einzt bey der Nachwelt blizt.

Durch diese geringe Zeilen wolte gegen den Hoch-  
Edlen and HochWohlgelahrten Herrn CARL  
DUDER ein besonderes Merckmal der  
Hochachtung und Liebe an den Tag legen

Deffen

gehorsamer Diener und Freund

J. C. Leuthold / aus Rudelsdorf  
d. G. G. B.

---

**A**duolat ille dies, TVA qui iam praemia spargit,  
Sis igitur felix sis terque quaterque beatus.

*Hiscę verbis CANDIDATO summorum  
in Philosophia honorum grati animi  
rectifig obrulit*

GEORG. CONRAD. THON, Schwarzburg.  
Medicinae et Philosoph. Cultor.



00 A 6427

ULB Halle  
002 927 292

3



0018

R





16 15

DISPUTATIO INAUGURALIS  
HISTORICO-METAPHYSICA

DE  
TO TVRCICO

QVAM  
SENSV INCLYTI ORDINIS PHILOSOPHICI  
PRAESIDE  
RGIO GOTHOFREDO  
KEVFFEL

MORAL. ET POLIT. PROF. PVBL. ORD.  
FACVLTATIS SVAE H. T. DECANO

O GRADV DOCTORIS  
QVE IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
LEGITIME IMPETRANDIS

IN IVLEO MAIORI

DIE APRILIS MDCCLI  
S ANTE ET POST MERIDIEM

DEFENDET  
A V T O R  
FRIDERICVS WEITENKAMPPF

REGIOMONTO-BORVSSVS  
THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE CANDIDATVS

HELMSTADII  
ERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

